6

DISPUTATIONEM MEDICAM
de
MANIA,

FAVENTE DEXTRO NUMINE
EX DECRETO & AUTHORITATE
Ampliſſimi & Gratioſiſſimi COLLEGII
Medici, in inclyta ac celeberrima
Baſilienſium Academia,

Pro
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
ac Privilegiis Doctoralibus ritè &
ſolenniter obtinendis,

Eruditorum examini publicè ſubjicit,

CHRISTOPHORUS JOACHIMUS WOLPHARTUS,
Hagâ-Batavus.

Ad diem 27. Junij M DC LXVI.

BASILEÆ, Typis JOHAN. JACOBI DECKERI,
Academiæ Typographi.

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO CASIMIRO,
COMITI IN
HANAV, RINECK ET ZWEIBRUCKEN,
DOMINO
IN
MÜNTZENBERG, LIECHTENBERG
ET
OCHSENSTEIN, ETC.
ARCHIMARESCHALLO HÆREDITARIO
ET
ADVOCATO SUBLIMIORI
ARGENTORATENSIUM,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

HANC DISPUTATIONEM
INAUGURALEM
HUMILLIME ET SUBMISSE
OFFERT
CHRIST. JOACHIM. WOLPHART.

I. N. D. N. J. C.

INter varia capitis, eaq́ gravißima morborum atq́ ſymptomatum genera, haud poſtremum ſibi locum vindicare poſſe eum, de quo nunc animus eſt pauca dicere, affectum, tum ratione ſævitiei, tum etiam durationis, cuivis & notum eſt, & ex ſequentibus patebit. Ne autem longiori hujus diſputationis proëmio immorer, rem aggredior.

THESIS I.

MAnia, vox eſt Græcæ originis, deducta ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, ab inſaniendo, Latinis dicitur inſania ſeu furor. Germ. wůtigkeit/taubſucht/raſerey/ quæ tripliciter ſumitur, generaliter, ſpecialiter & ſpecialiſſimè. 1. Generaliter, pro quavis alienatione & mutatione, ſive ea ſit rationis donum ſupernaturale, quod hominem ſupra naturam ſuam erigat, ſive ejusdem, qui hominem infra ſpem & dignitatem ſuam, dejiciat ſerror. 2. Specialiter, pro quocunque delirio ſine febre, ſive melancholicum, ſive maniacũ illud ſit. 3. Specialiſſimè & propriè prout diſtinguitur à delirio phrenetico, ratione ἀπυρεξίας, & melancholico, ratione furoris & audaciæ. Primo modo locuti ſunt de mania Platonici. Secundo Hipp. aph. 56. ſect. 6. de Tertio jam meum erit inſtitutum.

II. Definitur delirium ſine febre, cum furore & audacia, ab accenſione & impuritate ſpirituum animalium, aut eorum, ut & cerebri occulto vitio ortum.

III. Genus hujus affectûs eſt delirium, quod patet ex ægrorum dictis factisvè. Nonnulli immodicè voci-

ferantur, abſurdiſſima deſiderant, ab alto præcipites ſe dant, quæ omnia depravatæ phantaſiæ, & hinc ratiocinationis indicia ſunt. Cætera definitionis verba differentiam complectuntur, quâ ab aliis deliriis differt, & quidem à phrenetico, quòd ſit ſine febre, à melancholico, quòd hoc cum timore & triſtitia, illud verò cum timore & audacia ſit conjunctum. Denique, ſpirituum animalium accenſio & impuritas, aut occultum vitium, cauſam hujus delirii proximam notant.

IV. Pars affecta cerebrum eſt, quod in hoc delirio aut per idiopathiam, aut per ſympathiam afficitur. Affici quoque cor non immeritò ſtatuit Sennertus, idq; ex animi παθήμασι, ut irâ, audaciâ, furore, nec non temeritate, quę à corde provenire certũ eſt, demonſtrat.

V. Cauſa continens hujus affectûs, συνεκτικὴ dicta, eſt diſpoſitio ſpirituum maligna & ignea, vel vapores aduſti & fervidi à bile atra provenientes, quæ reſidet aut in cerebro ejusq́ue vaſis, aut in toto corpore, aut in alia parte determinata, maximè in liene & utero.

VI. Antecedens, ſeu προηγουμένη, eſt bilis flava, melancholia & ſanguis ipſe, qui humores ob certam corporis diſpoſitionem in bilem atram facilè converti poſſunt. Conſiſtit autem hæc diſpoſitio in rebus tùm naturalibus, tùm præternaturalibus.

VII. Naturales ſunt temperamentum calidum ſiccum vel ſolius cerebri, vel totius corporis, inprimis autem cordis & hepatis, vel alterius cujusdam determinatæ partis, ſc. uteri aut lienis, cujus ratione humor hic atrabilarius vel in ſolo cerebro, vel in toto, vel in alia determinata parte cumulatur: Ætas prætereà juvenilis, quæ à Gal. maximè præ cæteris huic affectui obnoxia habetur.

VIII. Præternaturales ſunt prægreſſę febres, pleuritides, epilepſię, melanch. ut vidit Foreſt. lib. 10. obſ. 24.

IX. Ex-

IX. Externæ ſeu προκαταρκτικαὶ, ſunt ſex res nonnaturales dictæ, aër calidus ſiccus, ut æſtate & autumno, juxta divi ſenis effatum, aphor. 22. ſ. 3. Victûs ratio calida & ſicca, vigiliæ immoderatæ, Philtra, venena, conſuetæ vacuationes ſuppreſſæ, per uterum, hæmorrhoides, varices, animi παθήματα, curæ, amor nimius, nimius motus.

X. Differentiæ maniæ per ſe patent. Ratione ſubjecti alia eſſentialis, alia eſt per conſenſum; illa, quando primi affectûs igniculi in cerebro gliſcunt, hæc, cùm in toto corpore, vel aliâ definitâ parte generantur.

XI. Ratione generis varia eſt, alia cum furore, ira, alia juncta cum ferinis morib. hinc dicitur κιναυθρωπία, λυκαυθρωπία, quæ duplex iterum dicitur, prout vel hominibus aliis videntur lupi, vel ſibi tantùm, alia eſt hydrophobia, & ſi quæ aliæ ſpecies, quas tractare non eſt inſtituti.

XII. Ratione cauſæ, alia eſt à bile flava, alia à ſanguine, alia à melancholia, quos humores oportet in atram bilem degeneraverint, ut maniacus quis dici poſſit.

XIII. Signa alia diagnoſtica ſunt, prognoſtica alia: diagnoſtica rursùs vel imminentis, vel præſentis affectûs.

XIV. Imminentis petimus ex mutatione morum & oculorum; ſi enim quis antehac modeſtus vixerit, atque placidè, & nunc protervus & iracundus per morem evadat, conjecturare licet maniam imminere, tumque ſi præter conſuetudinem oculos undiquaque moveat, & neſcio quid iracundiæ in vultu monſtret, confirmatur ſuſpicio.

XV. Præſentis, alia furorem in genere, alia quasdam furoris differentias indicant. Generalia: ſi v. g. nimis ſint iracundi, & quidem ſine cauſa, loquaciores cantent, ſaltent, conentur percutere. Specifica au-

tem maniæ ſigna ſunt vigiliæ perpetuæ, robur admirandum, actiones improbæ, excreta non naturalia, & hæc omnia ſine febre.

XVI. Eſſentialis mania cognoſcitur ex eo, quòd delirium ſit perpetuum, dolor capitis, vigiliæ, intentæ cogitationes paroxyſmum præceſſerint, ſanguis venæſectione eductus purus appareat, nec ulla aliarum partium affectarum indicia adſint. Bilis atra in toto corpore abundans cognoſcitur, ex colore totius fuſco, pilis nigris, hirſutie, venis amplis, calore ad tactum acri, pulſu arteriarum valido, ſanguine nigricante craſſo. Si in liene aut utero ſtabuletur, earum partium affectarum ſigna aderunt.

XVII. Ratione cauſæ, ſi à mixto ſit ſanguine, ridiculas habent imaginationes, præceſsêre cauſæ plethoræ, epar calidum humidũ, & clementior eſt mania. Bilioſus humor, ex temperie nativa & aſcititia cognoſcitur, & ſunt effrenes, ferarum inſtar nec familiaribus parcunt. Si à melancholia, præceſſerunt timor & triſtitia, non adeò furioſi ſunt, ſed meditabundi, taciturni, nonnunquam tamen cùm ſilentia rumpunt, garrire non deſinunt. Si à veneno vel philtro, vita prægreſſa, & converſatio cum perſonis ſuſpectis notanda. Si à canis morſu, cùm operatur venenum, adſunt quærelę de ſiti, multa ex ore prodit humiditas, mox mordent, vel mordere conantur.

XVIII. Prognoſin quod attinet: Nulla deſipientia, teſte Gal. comm. aph. 53. 6. l. ſecura eſt, affectus hic lethalis quidẽ ſemper non eſt, ſed tamen gravisſimus, & non ſolùm per menſes, ſed & per annos, imò ad mortẽ uſq; ſæpè durat, præſertim ſi hæreditaria ſit mania. Eſt & curatu difficilis, idq; ideò, quòd nobiliſſima hoc in affectu afficiantur viſcera, quòd non ſint obedientes medicis ægri, quòd cauſa lateat in humore pravo, pertinaci,

maligno

maligno & copioſo, item quòd ab atra bile originē ducat, notū autē, quòd ab atra bile omnes morbi curatu ſint difficiles. Faciliùs curabitur ea, quæ eſt cum riſu & mitiorib. ſymptomatis, quàm ea, quę eſt cum furore ac ſtudio. Ad ſalutem terminari maniam, oſtendunt evacuationes qualescunq; ex naturæ motu contingentes, per alvi fluxum, hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides, ſudores, varices: juxta Hipp. aph. 21 ſ. 6. quò verò diutiùs protrahitur malum, eò difficiliorem admittet curam: hæc petitur ab indicationibus.

XIX. Indicatio triplex eſt: Curatoria morbum reſpiciens, contraria poſtulat remedia; ratione intemperiei calidæ refrigerandum, ratione materiæ, quia illa fervens eſt, non modò evacuandi, ſed & contemperandi oritur indicatio. Præſervatoria pravas diſpoſitiones avertendas & impediendas eſſe docet. Vitalis corroborantia, cardiaca & cephalica exigit.

XX. Media curationis ſuppeditant, Cheirurgia, Pharmacia & Diæta.

XXI. Cheirurgia venæſectionē, remedium in hoc affectu exhibet pręſtantiſſimum, per aliquoties reiteratam, quamplurimos ab aliis medicis relictos, à quibus hoc præſidium intermiſſum erat, ſanatos vidit, & ipſus ſanavit Platerus, huic tamen, ſi perſuaderi poſſit æger, præmittatur clyſter, vel aliud primas vias evacuans medicamentum. Brachii vena ſecari poteſt magis patens, in manu ſalvatella, in pede ſaphena, inprimis ſi menſtrua ſint ſuppreſſa. Si perſeveret malū, aperiatur vena frontis, varices ſi appareant quoq; aperiendæ, ut & hæmorrhoides. Poſſunt & hûc referri ſcarificationes, frictiones, veſicatoria, cauteria. Commendant aliqui trepanum in caſu deſperato eſſentiali.

XXII. Pharmacia conſiſtit in humorum alteratione, eductione, partiumq́ roboratione. Alterantia, ſub quibus

bus & præparantia comprehenduntur, ſunt,rad.bugl. flor. c ord. nymph. herb. endiv. lact.ſem.frig. & ex his compoſ. Hæc purgantia excipiant,qualia ſunt,quæ parantur ex ſenna, rhabar. epithym. polipod. elect. diacath. addit. ſyrup.roſar. ſolut. vel violar. Inter fortiora commendatur helleb.alb. &niger. à chym.antimoniũ, & ex eo parata medicamenta, eâ tamen cautione, ut à mitiorib.initium fiat,quę ſingulis ſeptimanis bis,&tandẽ ad fortiora deſcendatur,quæ non niſi ſingulis menſib. bis adhibenda ſunt,interjectis venæſectionib. Si à Philtro mania ſit, non negligenda ſunt vomitoria, nec prætereunda diuretica, ut ſpir. ſalis, urin. tartari, ut & ſudorifera, ſi eſſentialis ſit ex lapid.Bezoard.&c. Cordi & cerebro proſpicient, ſanguinem & ſpiritus mundabunt,quę parantur ex viol.nymph. roſ. borrag. bugloſ. confect.alker. ſpec.diamar.frig.&c. Inter externa ſuccus ſedi majoris recens expreſſus, ejusdem aqua, aqua ſolani & papav. à Sennerto commendantur. Palmam tribuunt chymici balſamo ♄ni,eoque caput inſtar linimenti inungi jubent.

XXIII. Rationem victûs quod attinet,quo tanquam oleo lumen,vita ſtat mortalium: aër ſit temperatus,locusq́;in quo decumbit ęger ſubobſcurus,poteſt & mutari locus,præſertim ſi ſuſpectus ſit,vel adverſus. Cibus ſit euchymus,humectans & modicè refrigerans. Potus ſit ptiſana,vel cereviſia tenuis, concedendũ tamen aliquid conſuetudini. Motus blandis ſubinde demulceantur verbis, coërcendus æger vinculis,carcerib.& cuſtodiis. Somnus ob refectionẽ & humectationem conciliandus, omni operâ incumbendum,ut quietus detineatur æger,&quantum poſſit,dormiat. Menſes,alvus, aliæq́; evacuationes, vel ſpontè vel arte procedant.

Affectus animi, quantum poſſibile, ſunt eximendi.

F I N I S.